DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

4

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BELCHER,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.

NEC NON

SOCIETAT. NAT. STUD. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Scribimus indocti doctique.

HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

GEORGIO GREGORY, DD. FAS.

qui

complura

nova et ornata

in medium attulit,

homini omni doctrinâ erudito,

hoc opuſculum,

obſervantiae

et

amicitiae

ſignum,

ſacrum vult

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

PROOEMIUM.

SCRIPTORES medici raro argumenta ſua ſatis perſpicua reddiderunt, et Artem Medicam adhuc inter obſcuriſſimas reſtare dolendum eſt. Cauſae quidem non occultantur; in talibus enim ad veritatem una ſola patet via: experimenta inſtituenda, ad traductionem accuratam decurrendum eſt; ad illum autem exiguntur otium et opportunitas, ad hoc ingenium acutum; et raro homini eidem haec om-

nia poffidere contigit. Nec folum impedimenta aliis difciplinis communia, arti medicae obftant; diverfitates morborum et corporum parum intellectae; principia motus ignota; numerus rerum circumftantium, et difficultas convenientes jungendi et alienas feparandi; caufarum et effectuum multiplices et implexae feries ad functiones numerofas humani corporis neceffariae; denique medicamentorum vires minime confirmatae, obftacula fere propria, et vix fuperanda, adjiciunt. Quod ad nos attinet, ad experimenta inftituenda, opportunitas, non voluntas, deficit; ad *hypothefes* proferendas ambo defunt. Si morbi hiftoriam accurate condiderimus, fi auctorum opiniones, et methodos medendi notatiores, breviter preffeque enarraverimus, voti fumus compotes, et punctum tulimus.

Hyfteria, propter originis et naturae obfcuritatem, merito fummam attentionem fibi vindicaret; non ideo verum eam ex aliis morbis

tractandam

tractandam ſelegi: ad hanc obſcuritatem removendam certe fruſtra aggrederer; nec in tali inceptu, ab eruditiſſimis etiam, multum proficere poſſe, expectandum eſt. Alia de cauſa, pauca de hoc morbo dicere ſtatui; quippe de quo plerique auctores vel nimis remiſſe et confuſe diſſeruerunt, vel contemptim penitus praeterierunt, vel omnia quae de eo protulerunt, *hypotheſi* inepta vitiarunt.

Sunt qui *hyſteriam* cum aliis morbis, quos *nervoſos* dicere placuit, praeſertim cum morbo *hypochondriaco* peſſime confunderunt. Hiſce morbis aliquae communia eſſe non negandum, ſed in pluribus inter ſe diſcrepant vel etiam repugnant, ut Cullenus bene indicavit. De *hyſteria*, ut ab hoc eximio auctore definita, tractare ſtatui; et ideo de talibus morbis generatim diſceptare cum meo propoſito minime convenit.

Hyſteria, Proteus et Chamaelion inter morbos, a Sydenhamo eleganter nuncupatur. Secundum

cundum Sydenhamum quidèm morbus non alius eſt, qui ſignorum concurſum adeo numeroſum et varium complectitur, et vix morbus exiſtit cujus indicia *hyſteria* non aemulatur. Capitis, dicit, arcem occupans, apoplexiam facit, quandoque ſpaſmos horrendos gignit, epilepſiae perſimiles; in partes vitales incidens, vehementiſſimam cordis palpitationem excitat; nonnunquam pulmones obſidet, et tuſſim moleſtiſſimam inducit; in colon et regionem ſcrobiculo cordis ſubtenſam impetum faciens, dolorem iliacae paſſioni haud abſimilem infligit, qui in icterum demum tranſit; quandoque renes et veſicam incurſans impetum nephriticum omnino mentitur; nunc in ventriculum decumbens, continuas vomitiones excitat, nunc etiam diarrhoeam quoties in inteſtina effunditur. Atque ut hic morbus, dicit, omnes ferme partes internas infeſtat, ita etiam nonnunquam et exteriores, carnemque muſculoſam occupat, maxillas ſcilicet, humeros, manus, crura, tibias, nunc dolorem adducens,

cens, nunc tumores, illos hydropicorum referentes; ſed neque ipſi dentes ab hujuſce morbi inſultu ſe poſſunt defendere *.

Quantumlibet quiſque morbum de quo tractat, quam terribilem exhibere cupit, et me hujus deſiderii non omnino immunem eſſe confiteor, tamen huic hiſtoriae horrendae non penitus eſſe fidendum cenſeo: non ideo verum omnia haec ſigna in aegris a SYDENHAMO obſervata fuiſſe, quod nefas eſſet, dubitandum; ſed quod SYDENHAMUS omnes affectiones inſolitas ſub titulo *Hyſteriae* diſpoſuit, eodem modo ut de morbis qui vulgo *nervoſi* nominantur hodierni nunc faciunt, potius colligendum eſt.

Hic morbus inſignem nominum varietatem ſortitus eſt, quae omnia ad Uterum ſpectant, et notionem morbidi ſtatus hujus organi comprehendunt. In hac re, ut ſoliti ſunt, quando nimis

* SYDENHAMUM videas, p. 388, 389, 390, 391. edit. Lugdun. Batav. 1726.

nimis *theoriae* indulgent, et omnia ad normam ſuarum opinionem quadrare conantur, homines in errorem conciderunt; ſed de verbis diſputare minime hìc locus eſt.

DEFINITIO.

" Ventris murmura; ſenſus globi in abdo-
" mine ſe volventis, ad ventriculum et fauces
" aſcendentis, ibique ſtrangulantis; ſopor;
" convulſiones; urinae limpidae copia pro-
" fuſa; animus nec ſponte varius et mutabi-
" lis *".

MORBI HISTORIA.

Seorſum ad morbi hiſtoriam animum nunc advertam, et ſigna ejus eminentiora paucis enarrabo.

Morbi impetu superveniente, quando tardius et paulatim accedit, languore, laſſitudine, debilitate,

* Cullen. Synop. gen. LXIII.

debilitate, ſuſpiriis et oſcitatione, cum dolore coarctante in fronte, et aliquando cum tenſione in ſiniſtra abdominis parte, aegra corripitur; mox adeſt anxietas ingens, et cordis palpitatio; ſenſus tum interni tum externi afficiuntur; mens levis et incerta eſt; illacrymant et caligant oculi; odores inſoliti aliquando ſentiuntur, et interdum varia rerum ſimulacra, modo ſplendentia, modo caliginoſa, aut muſcarum imagines motu rotante, vario, volucri, ſe oculis objiciunt.

Spiritus difficilis eſt, et urina copioſa et ſimilis aquae limpidae redditur. His ſubitus horroris et frigoris ſenſus, cum repentino calore, frontem, genas, tempora occupante, ſupervenit; et aliquando dolor, cui nomen *clavus hyſtericus*, anguſtus, ſed vix tolerandus, caput, et praeſertim occiput aegrotae, corripit. Vultus vel pallore vel rubore ſuffunditur, vel alternatim has ſpecies induit.

Ingruente

Ingruente *paroxyſmo*, omnia in pejus ruunt. Venter indureſcit et inflatur et umbilicus retrahitur. Simul ſentitur motus obſcurus in ima et plerumque ſiniſtra abdominis parte, huc illuc vagans, quaſi circa ſedem uteri. Demum fit ſenſus globi, nunc majoris, nunc minoris, qui poſtquam variarum inteſtinorum convolutionum tractum ſequutus eſt, inflatione et murmure comitatus, tandem ſerius ocyus ad ſtomachum aſcendit, ubi inflationem, dolorem, anxietatem, nauſeam, et aliquando vomitum, incitat. In quibuſdam exemplis, globus haud ultra progreditur; ſaepius autem ad fauces poſtea aſcendit, quibus haerens, deglutitionis et reſpirationis difficultatem inducit; jamque veluti fune ſtrangulata aegra globum ſentit. Globus in gutture incerto tempore manet, et aliquando per plures dies, aliis ſignis ceſſantibus, obſtinate perſtat; plerumque vero, remittente impetu, omnia ſigna cito remittunt.

Inter acceſſionem ſpiritus difficilis, anxius et anguſtus eſt; pulſus valde mutabilis eſt, et

vel

vel tardus, naturalis vel citiſſimus obſervatur ; ſed ſaepius conſtrictus, parvus, interciſus et inaequalis. Conſtrictione circa pulmones, et in muſculis laryngis aegra vexatur, et anguſtiae ſenſum praecipue ad cordis ſcrobiculum conqueritur. Regio epigaſtrica, quaſi magna vi diſtenta, dolet, et dorſum ſaepe dolore ſaevo occupatur.

Plerumque, poſtquam globus ad fauces propellitur, ſigna atrociora ſuperveniunt. Membra diſtenſione nervorum varie et incerte torquentur ; raro permulta ſimul; aliquando autem totum corpus, praeſertim truncus, diris convulſionibus quatitur ; dentes aliquando ſtrident, et aegra, quaſi omnia deſperans, manu, digitis in volam contractis, pectus crebro et miſere pertundit.

Umbilicus retrorſum trahitur, et ano pertinaciter conſtricto, flatus intus occluduntur. Veſica gravi dolore vel calore tentatur, et interdum urina omnino ſupprimitur. Irritatio

circa renes ſentitur, quae, in quibuſdam exemplis, ſed raro, impetum nephriticum ſimulat.

Inter acceſſionem, aliae, quod plerumque accidit, oppreſſae ſtupore jacent; aliae furioſe ſe gerunt, nec niſi vi cohibendae; aliae alterne riſus et ploratus edunt, et poſtea aliena et abſona balbutiunt.

Rariſſime omnia ſigna ſupra commemorata ſimul obſervantur, et acceſſiones, quoad tempus et violentiam, multum inter ſe diſcrepant. Serius ocyus autem morbi impetus recedit; pulſus vim ſuam gradatim recuperat; faciei pallor evaneſcit; viſus clarus, et calor corporis reſtituuntur; ſudor ſaepe erumpit; et, convulſionibus ceſſantibus, aegra ad ſe redit. Inteſtina obmurmurant, et flatus emittuntur; ſtupor et gravedo fugantur; vox redit; ſed primo verba male proferuntur, et ſuſpiriis frequentibus franguntur.

Aegrae

Aegrae quicquid per acceſſionem gerebatur aliquando ignorant; aliquando ſenſum et animum aliquo modo incolumes ſervant; vident, audiunt, agnoſcunt; et quod, durante morbi impetu actum fuit, eo remittente, recordantur. Poſtea per aliquod tempus, doloribus trunci, extremitatum vel capitis, delirio, totiuſque corporis laſſitudine, fatigantur. Acceſſiones plerumque incertis intervallis redeunt.

Cum acceſſio magis repentina eſt, ſigna plerumque violentiora ſunt, et in ſomno profundo haud raro terminantur. Sunt quibus animus plus corpore laborat; mens formidine vana turbatur, vel viciſſim in affectus contrarios diſtrahitur.

Mulieres, quae *hyſteria* laborant, plerumque male dormiunt, et ſomniis horrificis vexantur. In foeminis *hyſtericis*, olfactus et auditus aliquando

quando nimis acuti fiunt, propter universum genus nervosum nimis sentiens *.

Inter affectus minus consuetos hujus morbi, morbum regium, caecitatem, occulorum distortionem, nervorum resolutionem, *catalepsin*, et demum mortem subitaneam, auctores commemorant.

Auctores aliqui signa quaedam *hysteriae* propria memorant, qualia globus, clavus, urinae limpidae copia profusa, quae hunc morbum in quolibet exemplo ostenderint. Si cuiquam signorum separatim sumpto, fidendum est, globus certe seligendus; in hoc autem ut in aliis plerumque morbis, ex signorum concursu, potius dijudicandum est.

Hysteria, pro causis a quibus oriri videatur, in species diversas distinguitur; hinc *hysteria plethorica*, *chlorotica*, libidinosa, stomachica, *emphractica*, a *nosologis* annumerantur.

* Conspect. Med. Theoret.

rantur. Diſcedo parumper a morbi hiſtoria, ad quam, quando de cauſis agetur, aliquo modo reverti neceſſe erit.

DE DIAGNOSI.

In morbo adeo vario, et aliorum morborum ſigna adeo frequenter objiciens, *Diagnoſin* accuratam invenire neceſſarie difficile eſt.

Medici celeberrimi, et inter illos SYDENHAMUS ipſe, *Hyſteriam* et *Hypochondriaſin* eundem morbum eſſe crediderunt, et ſolum diſcrepare, ut viros vel foeminas afficeret*. Inter hos morbos

* Si conferantur ſymptomata paſſionis hypochondriacae in viris, quae abſque materia atrabilaria eſt, cum illis quae foeminae hyſtericae dictae patiuntur, vix ovum ovo ſimilius eſt, uti optime monuit SYDENHAMUS.

VAN SWIETEN. Comment.

morbos autem diſtinctio ſatis accurata nunc poſita eſt. *Hypochondriaſis* nimirum temperamentum melancholicum adoritur, *Hyſteria* ſanguineum; illa ſexum maſculinum affligit, haec foemineum; illa ſub coelo frigido, haec ſub calido, magis viget; illa rarius ante quadrageſimum annum incipit, haec rarius poſt illud tempus perſtat; illa conſtanter fatigat, haec brevibus et diſcretis acceſſionibus exhaurit.

Hyſteria his praecipue ab *Epilepſia* diſcernitur. In *epilepſia*, impetus magis ſubito corripit; in *hyſteria* autem ſenſim pedetentimque obrepit. In *hyſteria* ſenſus multo minus afficiuntur, luce ad oculum admota, pupilla contrahitur; rarius ſpumat os, et convulſiones leniores et minus generales ſunt. Clavus et praecipue globus, ab *epilepſia* ſemper fere abſunt.

Apoplexia

Apoplexia ab *hyſteria* diſtinguitur, ſtertore et pulſu pleno et forti. *Apoplexia* etiam derepente ingruit, et aetate provectos potiſſimum adoritur.

Podagra *atonica*, in quibuſdam ſignis, *hyſteriam* multum ſimulat. Internoſcitur ſexus diverſitate, et globi et convulſionum abſentia.

Animi defectio melius dignoſcitur abſentia ſignorum quae *hyſteriam* denotant, quam praeſentia ſuorum. In animi defectione nimirum deſunt clavus, globus, convulſiones, et motus in imo ventre.

Secundum quoſdam auctores, *hyſteria* a Calculo vix ſecernenda eſt; haec difficultas autem medicinae incumbentibus rariſſime ſe offerre poteſt. Praeter notas hujus morbi melius ſtabilitas, qualia clavus, ſuffocatio, et urina limpida, quae ab calculo abſunt, *hyſterium* et

calculum

calculum a ſe invicem diſcernere poſſumus, bene perſpecta cauſa excitante, quae in *hyſteria* eſt plerumque, vel animi affectus vehementior, vel vitium menſium; *hyſteriae* autem impetus ſine ulla cauſa excitante evidente aliquando ſupervenire, non negandum eſt. Hos morbos etiam ab effectibus remediorum optime dignoſci, teſtatur SYDENHAMUS.

DE CAUSIS IN GENERE.

" Diſtinguunt imprimis medici morbi cau-
" ſas in *proximam* et *remotas*; *remotas* iterum
" in *praediſponentes* et *occaſionales* vel *exci-*
" *tantes* vel *potentias nocentes**."

Haec autem diviſio in quibuſdam morbis, parum accurata vel idonea videtur; eaedem enim

* Videas Librum ornatum De Medicina Theoretica, Auctore JACOBO GREGORY, ab § 36. ad § 48.

enim causae quae in minori gradu vel seorsum existentes solam proclivitatem creant, in majori gradu vel conjunctim applicatae, morbum confestim excitant; cujus *hysteria* indubitatum perhibet exemplum. "Nonnunquam "vero talis corporis conditio diu perstans eo "usque ingravescit, ut sola, nulla adjecta cau-"sa excitante, justum et manifestum morbum "faciat; vel ut alii loqui amant causa quo-"que excitans fiat *."

Qui de causis *hysteriae* tractet, melius fortasse illas disponeret, ut corpus vel animum primitus afficiant; sed morigerandum est ne ab antiqua et rata consuetudine temere discedere videar.

Quod ad causas proximas attinet, harum deprehensionem natura visibus humanis omnino negavit; et dum sapientissimis latet ratio, cur lapis lapidi illisa motum impertit, quis

* Conspect. Med. Theoret.

morbi caufam proximam inveftigans, laboribus fuis felicem exitum expectaret? Ut breviter dicam, opus medici non in caufis efficientibus detegendis conftat, fed in nexibus fixis exquirendis. Caufam ideo proximam filentio praetereundam puto.

DE CAUSIS QUAE CORPUS HYSTERIAE OPPORTUNUM REDDUNT.

Cum indicia *hyfteriae* afpiciantur, caufas ejus praepotentes effe, omnibus primo afpectu perfuafum foret; quum vero morbus propius infpicitur, longe aliter rem fe habere reperimus, et plurimas caufarum ejus praedifponentium, et etiam excitantium, adeo leves effe, ut folum foeminas ad morbum infigniter pronas, ullo modo afficiant.

Hyfteriae prae aliis obnoxiae funt foeminae quibus vultus pulchrior eft, et capilli fubflavi,

et

et cutis mollis et laevis, per quam ſanguinis rubor perfecte tranſlucet; quibus corporis habitus laxior et nitidior eſt, et forma ſaepe delicata et elegans. Non tales vero ſolas tentat, quandoquidem ferociter et frequenter inter plebeias, et illas quae habitu robuſtiore praeditae ſunt, Viragines dictas, graſſatur.

Proclivitas ad *hyſteriam* multum etiam pendere videtur, a mobilitate peculiari, et corporis et animi. Haec nonnunquam congenita et haereditaria obſervatur, aliquando vitae genere enata; atque his fere ſemper aucta eſt, antequam manifeſtus morbus excitatur.

Mulieres diverſae ſunt indolis; aliae ſunt quibus animi affectus et ſenſus difficulter commoventur; aliae autem mollitie et venuſtate quadam animi, et facultate acriori percipiendi, praeditae ſunt: talibus quilibet eventus laetitiae vel angoris opportunitatem praebet, et caſus leviſſimus altius in animum penetrat.

Si

Si haec animi congenita affectio ſtabilita ſit, dum adoleſcentula ad imaginationis impetus ſe temere addicat, et potiſſimum ſi fabularum *novellarum* perlectioni extra modum indulgeat, proclivitas ad *hyſteriam* potentiſſima proveniet.

Hujus morbi impetus a ſtatu partium quae generationi inſerviunt, multum pendere, ſemper obſervatum fuit. Rariſſime ante pubertatem *hyſteria* naſcitur, vel poſt illud tempus, quando mulier propter aetatem parere non poteſt, perſiſtit. Virgines nuptis, ſteriles foecundis, magis *hyſteria* laborant; eademque ſaepe redit, vel tempore, vel paulo ante tempus menſium. Parum autem apud me antiquorum auctoritas valet, qui *hyſteriam* ſemper a ſtatu uteri pendere crediderunt.

Inter cauſas hujus morbi praediſponentes, annumerantur res diverſiſſimae; aeque inanitio ut repletio, ſomnus ut pervigilium, gaudium

dium ut triſtitia, ſi auctoribus credendum ſit, corpus ad hunc morbum opportunum reddunt. Aliae etiam cauſae quae vires corporis detrahunt, quales luxus, inertia, fatigatio, nimiae exinanitiones per ſanguinis amiſſionem, alvum, vomitum, menſtrua ; retentio etiam menſium, exinanitiones ſolitae omiſſae, libido, vermes inteſtinorum, ad eundem effectum conferunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Quemadmodum cauſae *hyſteriae* praediſponentes in corpus, ita cauſae ejus excitantes in animum vires ſuas exercent. Hoc vero finite intelligendum eſt, quandoquidem, ut ante commemoravi, eaedem cauſae pro gradu vel praediſponentes vel excitantes fiant.

Animi affectus certe inter potentiſſimas et frequentiſſimas cauſas excitantes *hyſteriae* habendi

bendi ſunt; et parum intereſt, utrum ſenſus ab externis cauſis illico oriantur, an diu ante recepti, quolibet caſu in mentem poſtea revocentur.

Qua vi animi affectus in corpus agant, omnibus ſatis cognitum eſt. Quantum valeat terror, pallorem, anxietatem, infirmitatem gignere; pudor rubore genas ſpargere; benevolentia ſerenitate aſpectum honeſtare; amor frontem explicare, geſtuique proficere; ira vultum torquere, reſpirationem et pulſum accelerare, et fulgorem oculis et tonitru voci praebere, quotidiana docet experientia.

Cum hae potentiae effectus adeo eminentes in corpore ſano praeſtent, eaſdem in corporibus ad motus inordinatos jam quam maxime propenſis, juſtum morbum convulſivum excitare, nil mirum eſt.

Ex

Ex caufis ejufdem generis inopinanter agentibus homines fimulacrorum inftar riguerunt. Gaudio homines fubitam mortem fubierunt; "gaudio obierunt Sophocles et Dionyfius Si-"ciliae tyrannus, uterque excepto tragicae "victoriae nuncio *." Quando vero animi affectus inter fe oppofiti fubito per vices fuccedant, tunc vitae difcrimen praefertim adeft. "Chilo philofophus victore filio Olympiae "expiraffet gaudio; quin et funus ejus tota "Graecia profecuta eft †."

Poftquam *hyfteria* femel excitatur, acceffionis reditus ab idearum confociatione multum pendere videtur. Hoc fundamento magna ex parte nititur, quod certi vifus, foni et odores, in quibufdam mulieribus morbi impetum inducunt; immo etiam quaedam funt, quae femper convulfionibus corripiuntur, quotiefcunque locus ubi primum morbum contraxerunt,

* Plin. Nat. Hift. lib. vii. cap. liii.

† Ibid. cap. xxxii.

runt, memoratur. Huic ſimillimum eſt, quod in mente captis perſaepe obſervatur, qui conſulto immo ſagaciter plerumque colloquuntur, donec aliquid obveniat quod ad illam idearum ſeriem quae primum morbum excitaverat, adducat; unde dirus morbus patet.

Illa mira facultas qua homo res abſentes quaſi ante oculos poſitas contemplari poteſt; qua praeteritum et futurum conferre, copulare, admiſcere, adeo ut novas rerum ideas figurare valeat, et qua mundum ſibimetipſi proprium quiſque magna ex parte creat, dum ſummarum voluptatum fons eſt, ad morbos quoſdam viam ſtruit. Eadem facultas quae in poëtis, ſtatuariis et pictoribus, laudatur, homines ad melancholiam et inſaniam pronos reddit, imprimis ſi vitam a rebus mundanis ſecluſam agant, et rarius et minus fortiter a rebus externis afficiantur.

In morbo comitiali, quem quidam viris esse, quod *hysteria* est mulieribus, haud improbabiliter putârunt, imaginatio fervida plurimum nocet. Superveniente morbi comitialis impetu, novae et insolitae ideae aliquando oriuntur; nunc pulcherrimi colores, nunc odores grati vel ingrati, aegris percipiuntur; aliquibus spectrum singulare visui objicitur; in vultibus hominum qui morbo comitiali conflictantur, dum concidunt, saepe metus observatur, et aliquando ad risum facies composita est. Has vero affectiones a convulsionibus solis evenire posse, intelligendum est.

Quando morbus comitialis a terrore originem duxit, in quibusdam exemplis renascuntur accessiones, quoties terroris causa ad animum offertur. VAN SWIETEN pueri mentionem facit, qui a cane magno insiliente adeo perterritus fuit, ut paulo post concideret *epilepticus;* et postea dum majorem canem videret, vel e-

tiam latrantem audiret, redibat morbi impetus.

Quantos effectus imaginationis vis in corpus habeat, ex exemplo a VAN SWIETEN memoriae prodito, bene perſpicitur. " Vidi homi-" nem", dicit, " qui aliquoties ſumpſerat hau-" ſtum purgantem, nauſeoſum ſatis, viſo pocu-" lo, de quo hauſerat remedium, horruiſſe non " tantum et nauſeaſſe, ſed et alvum depoſuiſſe " frequentius; ſic ſola idea faſtidioſa reme-" dii renovata purgantis pharmaci vices ſup-" plevit, et totum corpus turbavit."

Opinionem ejuſdem auctoris de hac re quae mihi ſatis juſta videtur, adjungam. " Num-" quid et literarum notulae nihil commune " cum rebus ſignificatis habentes, in nobis re-" novant eaſdem ideas quas ante plures an-" nos habuimus, et quarum memores non am-" plius eramus? Imo et ab hac ſola cauſa " ſaepe renovantur validi affectus animi, irae,

" odii,

" odii, triſtitiae, &c. qui jamdudum ſopiti " fuerant. Simili modo videntur renovari " inſultus epileptici illis, qui a valido terrore " in hunc morbum inciderant." " Unde " videtur GALENUS, dum notabat illa quae " vitanda erant in puero epileptico, ne re- " crudeſceret paroxyſmus, optime dixiſſe: " a quibus corpus vehementer moveri ſolet, " atque in reminiſcentiam morbi referri, et " ad generationem paroxyſmi deduci."

Exemplum ejuſdem generis, quod ad *hyſte-riam* attinet, inter multa ab illo memoriter et jucunde narrata, ab amico meo, Doctore WEEMS, accepi.

Domina cum habitu corporis delicatiſſimo, tum inſigni pulchritudine praedita, a tenera aetate, tanta averſatione a felibus conflicta-ta eſt, ut poſtquam adulta fuerit, quoties fe-lem etiam nitidiſſimam aſpiceret, pluribus *hy-ſteriae* ſignis corripiebatur. Imo ſi familiares

ejus

ejus dicerent, ſe modo felem nigram vidiſſe, ſtatim circa regionem uteri ſe injucundius habere queſta eſt ; et ſi certior facta fuerit, felem in conſpectum ejus venturam, tunc levibus *hyſteriae* acceſſionibus illico tentabatur.

Imitationis facultas quam adhuc in principia ſimpliciora reſolvere, philoſophia non valuit, inter cauſas excitantes *hyſteriae* certe commemoranda eſt. Haec facultas longe lateque vires ſuas in homines exercet. Hinc potentia hilaritatis inter ſocios ; hinc morum ſimilitudo, quae inter familiares et neceſſarios, et inter homines ejuſdem ordinis, oritur ; hinc illa mira celeritas quâ confidentia vel terror per exercitum latiſſimum diffunditur ; hinc ingentes effectus quos genus forenſe dicendi in conciones frequentatas praeſtat, qui non minus a numero audientium quam a facundia oratoris, pendere videntur ; hinc multitudinis furor intractabilis ; hinc denique in omnibus, utilis vel perniciosa efficientia exempli.

Hyſteriam

Hyſteriam et morbum comitialem cum adſtantibus et morbi tantum ſigna cernentibus, ſaepe communicatas fuiſſe, certe conſtat, et hujuſmodi affectus ad eandem imitationis facultatem referre neceſſe eſt. Hujus ſpectabile exemplum Boerhaavio ſeſe obtulit, et ſimilia in valetudinario Edinburgenſi obſervata fuerunt.

DE PROGNOSI.

Saepe hic morbus cum aliis adeo mixtum et implicatum ſe offert, ut eventum praenunciare fiat difficillimum. Si in morbum comitialem vel nervorum reſolutionem propendeat, periculum eſt, ut aliqui dicunt, ne in hos morbos demum tranſeat; cum aegra valde plena eſt, nervorum reſolutio, quando convulſiones violentiores ſunt, morbus comitialis, magis metuendus eſt. Hydropi etiam et *nymphomaniae hyſteriam* aliquando fundamentum praebere, probabile eſt. Inter impetum aliquando ſed rariſſime exitium aegrotae affert.

Certe

Certe de hujus morbi eventu in ullo exemplo praenunciare, omnino impoſſibile eſt. Quanto autem recentior ſit morbus, quanto acceſſiones minus crebrae et diuturnae, quanto magis proclivitas hereditaria abſit, quanto magis aegra hilaris et ſerena, tanto licet magis ſpem ſanationis concipere. Si aegra juvenis ſit et caelebs, aliquid ex matrimonio ſperandum eſt.

Quantumcunque terribilia ſint hujus morbi indicia eventus tamen proſperus plerumque expectandus eſt. Magis terrorem injicit adſtantibus, quam aegram in periculum adducit, et ſi remediis non cedat, tandem ſponte abit.

DE RATIONE MEDENDI.

Ad *hyſteriae* ſanationem tria conſilia ab auctoribus plerumque poſita ſunt.

I. Ut cauſae excitantes caveantur.

II.

II. Ut jam inſtans impetus leniatur vel prorſus tollatur.

III. Ut acceſſiones futurae praeveniantur.

Horum vero conſiliorum primum ſupervacuum eſſe videtur, dum commodiſſime a tertio comprehenditur. Ut *hyſteriae* igitur medela praeſtetur quaerendum eſt, I. Unde aceſſionem propulſemus; et II. qua ratione recurſui ejus occurramus. De his ſeorſum tractandum eſt.

Ad impetum jam inſtantem avertendum optime uſurpantur *antiſpaſmodica* potentiſſima, qualia *aether*, opium, *moſchus*, *aſafoetida*, *camphora*, *ammonia*, et hoc propoſito talibus fere ſolis fidendum eſt. Ne haec nimis frequenter et intempeſtive adhibeantur, adeo ut ſimul aegrotae noceant, et in futurum vires ſuas in eam amittant, diligenter curandum eſt; ſed

non

non ideo valde caute et timide cum tempus necessitasque urget, usurpanda sunt; nam qui impetum *hystericum* parca *dosi aetheris* vel opii propulsare expectet, aquam postulat a pumice.

Quod ad electionem medicamentorum attinet, si aegrae animus in nullum certum remedium propendeat, *aether* vel opium, vel potius forsitan utraque conjuncta, anteponenda sunt. *Moschus* etiam utile remedium est, sed minus feliciter adhibetur, vel quia a venditoribus male commisceatur, vel quia *dosibus* parcioribus praescribatur; in *dosibus* enim satis largis, v. g. decem vel quindecim granorum, *moschum* optimos effectus in diversis morbis *convulsivis* praestitisse, testatur Dr Wall; et licet odor ejus in aliquibus foeminis accessionem inducat, tamen *moschus* in stomachum receptus, eandem propulsare sufficiat. Hujus generis remedia praecipue sub impetus initio adhibenda sunt. Vires *camphorae antispasmodicae* ab

aliquibus

aliquibus multum laudatur. Efficientia autem ejus tardior eſt, et hoc remedium ideo ad impetum jam inſtantem fugandum, minus aptum eſt ; ſaepe autem dolorem capitis, quo foeminae *hyſtericae* vexantur, feliciſſime removet. *Sal volatile* et foetida vel ad nares admota, vel interne ſumpta, nonnunquam impetum optime ſedant. Inter illa quae naribus afficiendis proſunt, odor materiarum animalium ambuſtarum non aſpernandus eſt. Cum animi defectio praeſertim urgeat, facie et pectore frigida perfuſis, aegra, ut quotidie obſervatur, ſaepe feliciter ad ſe redit.

Calidam lavationem aliquando profuiſſe teſtatur clar. WHYTT. Quando *globus* pertinacius perſiſtit, in quibuſdam exemplis ab *electricitate* fauſte ſolutus eſt. *Globus* etiam nonnunquam *aetheri vitriolico* vel *ſpiritui cornu cervi* extrinſecus adhibitis, proſpere ceſſit.

Valeriana, ruta, pulegium, et ſimilia, olim bonam exiſtimationem in *hyſteriae* medela obtinuerunt, ſed hoc tempore remediis majoris efficacitatis merito ceſſerunt.

Multum ad impetum praeveniendum confert, ut aegra contra acceſſionem obnitatur. Convulſiones enim in hoc morbo ut in *Chorea* ex parte voluntariae ſunt.

In morbo adeo atroci, ut impetus jam inſtans, etiamſi plerumque cito et ſponte recedat, amoveatur, magni momenti eſt ; ſed certe majoris eſt momenti, ut acceſſiones futurae praeveniantur. In altero igitur conſilio plus operae ſtudiique ponendum eſt.

Ad hoc propoſitum conſequendum duo imprimis neceſſaria ſunt, ut cauſae excitantes caveantur, et ut corporis mobilitas corrigatur. De cauſis excitantibus ſupra plene dixi, et

earum

earum evitatio magis aegrotae quam medici cura eſt. Quibus modis proclivitas auferatur, nunc igitur conſiderandum eſt.

Ad proclivitatem minuendam maxime confert ut functiones naturales ex ordine perficiantur; his enim impeditis vel turbatis, nunquam ſcopum attingemus. Primum ideo ad has dirigendas animum attendere neceſſe eſt.

Inter omnes conſtat, mobilitatem totius corporis, et praecipue canalis alimentarii, quae hujus morbi ſemper comes eſt, arcte cum debilitate et laxitate conjungi. Cum CULLENO ſentio, ut duae ſunt corporis habitudines quae ad morbos, qui a WHYTTIO *nervoſi* dicuntur, praecipue viam ſtruunt; fibra mobilior ſcilicet et fibra tardior; alia ad *hyſteriam*, alia ad *hypochondriaſin* corpus opportunum reddens. Mobilitas corporis major in juvenibus et mulieribus, et tales *hyſteria* tentantur; immobilitas praecipue adeſt in ſenibus et viris, et

hi

hi *hypochondriaſi* laborant. *Hyſteria* aetate progrediente prorſus diſcedit; *hypochondriaſis* magis magiſque ingraveſcit.

In viribus corporis reſtituendis exercitatio omnibus aliis anteponenda eſt; ſed modus ejus caute temperandus eſt. In hoc naturam debemus ducem ſequi; nam qui finem et modum tranſeuntes, ultra debitum, exercitationem praecipiunt, plurimum nocent, et vires frangunt, quas augere conati ſunt. Equitatio et ambulatio modica, ſi aegrae vires tulerint, geſtationi in curru anteponendae ſunt.

Ut diaeta bene regatur magni etiam momenti eſt. Cibus nutriens eſſe debet, et concoctu facilis, et potius ſaepe quam magna ſimul copia aſſumptus; inedia et ſatietas aeque fugiendae. A cibis duris, ſalitis, fumatis, pinguibus, facile in putredinem ruentibus, a frugibus aquoſis, aceſcere pronis et inflantibus, caute abſtinendum eſt. Vinum vetuſtius et

lenius

lenius moderate ſumptum, et *ſpiritus vini Gallici* aqua frigida probe dilutus, pro potu, cereviſiae praeſtant. Liquores calidi evitentur.

Quod ad aërem ſpectat, purus, apertus, ſiccus, gravis, frigidulus, ventis leniter agitatus et ſerenus, calido, ſtanti et humido anteponendus eſt. A calore et frigore, et praeſertim a tranſitu ab uno ad alterum, cavendum eſt. Solis radii et terrae exhalationes veſpertinae et matutinae fugiendae ſunt.

Ad vires corporis revocandas et ſtabiliendas, balneum frigidum etiam confert. Si poſt lavationem, color ſit vividus, pulſus vegetior, et animus hilaris, in ea perſiſtendum eſt; ſed ſi haec ſigna deſint, uſum ejus quamprimum omittere oportet.

Nec, dum aegrotae corpori conſulimus, animus ejus negligendus eſt. Nunquam niſi occaſione poſtulante votis obſiſtendum, nunquam aſpere

aſpere negandum eſt ; et ſiquando, quod non concedendum eſt, petat, leniter et ſagaciter a propoſito abducenda eſt. Intereà etiam induſtrie conſulendum eſt, ne mens propter affectus violentiores inquieta fiat, vel acies ejus propter inertiam hebeſcat ; ſumma in utramque partem ſunt mala.

Denique ad medicamenta quae proclivitatem auferre poſſint, animum advertam. Ad impetum jam inſtantem arcendum, remedia quae ſubitam et violentam, ſed brevem actionem habent, ſolum efficacia ſunt ; ad acceſſiones autem in futurum praeveniendas, illa, quae lentius et lenius, ſed diuturnius corpus afficiunt, melius reſpondent. Talia ſunt radix gentianae, cortex mali aurei, et multa alia, ſed Cortex Peruvianus et ferrum omnium forſitan vices ſupplere poterunt. Ferri ſimplex rubigo anteponenda eſt, et praecipue cùm aromaticis miſta eſt, in quibuſdam exemplis optimos effectus praeſtitit. Olim apud medicos

mos

mos erat toto illo ſpatio quo aegra chalybeïa ſumpſit catharticum medicamentum quoddam ſtatis intervallis exhibere. Ab hoc verum SYDENHAMUS ſagacitate conſueta fortiter dehortatus eſt.

SYDENHAMUS autem *hypotheſi* vana ſeductus, ſanguinis miſſionem et purgantia in *hyſteriae* medela haud parum laudavit. In uno exemplo quidem apte laudâſſe videtur, quando ſcilicet aegra valde plena eſt, et praecipue ſi, ſanguinis in capite vel pulmonibus congeſti, indicia adſint; qualia ſpiritus perdifficilis et laborioſus, vultus lividus et ſi ſigna veternoſa ſeſe monſtrent. In morbo autem qui frequenter arcte cum imbecillitate connectitur, exinanitiones omnes, praeſertim ſanguinis detractio, cautiſſime tentandae ſunt; et quam parum haec et alvi purgatio huic morbo accommodantur, nuſquam melius perſpici poteſt, quam a ſententia ex ſcriptis SYDENHAMI ipſius excerpta.

"Ad hanc ego metam collimans, venam in "brachio ſecari jubeo, dein ut purgetur aegra "tribus quatuorve auroris continuis. Per "hos dies in quibus venaeſectio et catharſis "celebrantur, ita plane nihil emolumenti ca-"pere aegra, ut in pejus ruere ſibi videatur, "cum dictae evacuationes tumultu concitato, "ἀταξίαν promoveant; qua de re aegram dili-"genter praemoneo, ne animum deſpondeat, "ſuadente morbi genio: utut fuerit, vitioſi "iſti humores, quos a morbo diuturniore co-"aggeratos ſupponimus, quadantenus ſunt "detrahendi, antequam primariae intentio-"ni ſatisfacere queamus *."

Caeteris ſpem fallentibus ad morbum, ut dicunt, abſterrendum, animi affectus cum felici eventu aliquando adhibiti ſunt, et ad hoc propoſitum terror maxime competit. Hinc aqua

* Sydenhamum videas, p. 403. edit. Lugdun. Batav. 1726.

aqua frigida inopinanter aegrae affufa, non folum acceffionem inftantem fugavit, fed morbum in futurum omnino fuftulit.

Exemplum hujus generis mihi contigit, licet non propriis oculis vidiffe, tamen ab illis apud quas res gerebatur, plene collegiffe, quod propter diverfas res adeo notabile eft, ut fi non optima auctoritate comprobaretur, certe omnino improbabile et ridiculum effe videretur. Puella folum decem annos nata cum ex alto decideret, propter terrorem *hyfteria* corripiebatur. Acceffiones violentes fuerunt, et bis vel ter indies redierunt. Duo hujus oppidi medici * fanguinis detractione et remediis ufitatioribus fruftra morbum vincere tentarunt, et tandem exfpes propofitum omiferunt: morbus nunc menfem permanferat. Medici tamen puellae parentes monuerunt, quod aliquem modum excogitarent quo fubitum terrorem illi incu-

* Dr Chambers, Dr Anderson.

terent, et aliquid ex eo expectandum esse, praedixerunt. Dum parentes autem secum meditati sint, quo pacto hoc efficerent, puellae se trucidaturam esse noctu somniare accidit; ejulans et sudore perfusa ex somno exsiliit, et ex eo tempore nondum post tredecim annos impetus *hystericus* rediit.

Considerandum vero est ne quid temere faciamus; talia remedia, tunc solum, cum nullum aliud potest haberi refugium, usurpanda sunt: "Leviter aegrotantes leniter curemus, "nec nisi gravioribus morbis periculosas cura-"tiones et ancipites adhibeamus *."

Proclivitas autem ad *hysteriam* "a prima "et congenita corporis fabricatione saepe pen-"det, nullis remediis nullo vitae genere peni-"tus corrigenda †." Mulieribus itaque *hysteria* laborantibus facilem, subitam, et diuturnam

* Cic. De Officiis.

† Conspect. Med. Theoret.

nam curationem nemo polliceri debet; iis enim ad ſanitatem continue plus minuſve animum attendere, neceſſe eſt; ſemper ab animi affectibus violentis caveant; aeque fatigationem, inertiam, ſatietatem, inediam, turbam, ſolitudinem, fugiant; matrimonium ineant, et remis veliſque medium et tranquillum vitae curſum tenere contendant.

F I N I S.